



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XIV. In Titulum XIV. De Ætate, Qualitate, Et Ordine
Præficiendorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

QUÆSTIO XIV.

IN TITULUM XIV. DE ÆTATE, QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

2195. **C**UM illi, qui præficiendi sunt Ecclesijs, debeant esse legitimæ ætatis, certatum qualitatum, & habere ordines; de his præfenti titulo agitur; sicut enim bono Ecclesiarum Regimini plurimum detrimento nascitur, si jii, qui Rectores sunt Ecclesiarum, & Pastores animarū, ejusmodi munia suscipiant, debitis ad ea qualitatibus destituti (quod observans D. Gregorius hom. 17. in Evangel. non sine gravi mœrore deplorat, dicens: *ecce mundus Sacerdotibus plenus est; sed tamen, in messe DEI, rarus valde invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus*) sicut, inquam, hoc plurimum nocementi affert; ita maximæ animarum, ac Ecclesiæ utilitati est, bonos, ac debitis qualitatibus ornatos Clericos, regendis Ecclesijs præficere; de quo in præfenti:

ARTICULUS I.

De ætate, & qualitate præficiendorum Ecclesijs.

2196. **S**UPPONENDUM ex Trid. sess. 7. de reform. c. 1. ad Regimen Ecclesiarum Cathedralium, nullum, nisi ex legitimo matrimonio natum, ætate matura, gravitate morum, literarum, & scientiâ, (juxta constitutionem Alexandri III. quæ incipit, *cum in cunctis* in Concilio Lateranensi promulgatam) præditum assumi. Hinc, ut quis præficiatur Episcopatu, requiritur ætas 30. annorum completorum; ut notat Barbosa in Trid. cit. n. 5. quod etiam procedit de Cardinali Episcopo; pro Cardinali Diacono, sufficere vigesimum tertium inceptum, tradit Vallensis h. tit. n. 2. pro Cardinali Presbytero, trigessimum. V. Azor p. 1. l. 6. c. 5. q. 10.

2197. Præter hoc not. 1. ad dignitatem, inferioriorem Episcopatu, cui annexa est cura animarum, requiri annum vigesimum quintum ex Trid. sess. 24. c. 12. ibi: nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promovea-

tur, nisi, qui saltem 25. sue ætatis annum attigerit; & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate, commendetur, juxta constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, *cum in cunctis* V. nu. 2807. ad alias dignitates, & officia sine cura animarum, jure Decretalium, sufficere ætatem 14. annorum, c. indecorum 3. h. t. ibi: *personatus nemini intra annum 14. constituto.* & c. jure autem Tridentini loc. cit. ætatem 22. completorum.

Not. 2. ad beneficium Parochiale, vel aliud Curatum, requiri annum vigesimum quintum, saltem inchoatum; alias collatio nulla est, c. 14. de elect. in 6. ibi: *statuimus, ut nullus ad regimen paræcialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate: decernentes collationes de paræcialibus Ecclesijs ijs, qui non attigerint 25. annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere, & cap. 15. eod. in 6. ibi: nemo deinceps paræcialem Ecclesiam, alicui non constituto in ætate legitima, & Sacerdotio, commendare præsumat: nec tali etiâ, nisi unam: & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente. Hujusmodi autem comendam (ut præmittitur) rite factam, declaramus ultra semestris temporis spatium non durare; statuentes, quicquid secus de commendis Ecclesiarum paræcialium actum fuerit, esse irritum ipso jure. Eadem ætas requiritur in Vicarijs perpetuis Ecclesiarum Parochialium, Clement. unic. de offic. Vicar. ubi Clemens V. sic loquitur: *Quæ de Ecclesijs, curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis: ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium: & de eorum ætate, à jure statuta noscuntur: in perpetuis Ecclesiarum Paræcialium Vicarijs, & assumptis ad eas, volumus observari.**

Not. 3. ad Canonicatus, præbendas, vel portiones Ecclesiarum Cathedralium eam ætatem requiri, quàm exigit ordo, illi annexus, juxta Trid. sess. 24. c. 12. ibi: nemi-

1298.

1299.

1299.

neminem etiam deinceps ad *dignitatem*, *Canonicatum*, aut *portionem* recipiant, nisi, qui eo ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus à jure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat: in Collegiata verò, & cæteris inferioribus, requiri annum 14. saltem inceptum, Trid. *sess. 23. c. 8. de reform. & c. super inordinata, de præbend. juncta gloss. V. pueri*, nisi ex fundatione aliter cautum sit, cui Concilium non derogavit; sic declarationes in Trid. *cit. V. nu. 2806.* loquendo autem de *qualitate* præficiendorum Ecclesijs, notandum, inter qualitates in præficiendo Ecclesijs requiri. 1. quòd sit dignus; 2. habilis; 3. aptus ad residendum in loco, si residentiam exigat, *c. quia nonnulli, de Cleric. non resid.* & ad exercendam curam sui muneris per se ipsum, *c. grave nimis, de præbend. c. licet Canon, de elect. in 6.* Trid. *sess. 7. c. 3. de reform.* 4. ut habeat scientiam muneri suo necessariam; 5. sit legitimus, vel in re, vel fictione juris per subsequens matrimonium, ut notat Barbosa in *c. 1. Trid. sess. de reform.* de quibus constat ex juribus jam allatis.

ARTICULUS II.

De ordine præficiendorum Ecclesijs.

2200. Quæstio est 1. quis ordo requiratur in præficiendo beneficio simplici: Resp. non requiri etiam minores Ordines; sed sufficere primam tonsuram, nisi aliud exigat consuetudo, statutum, vel fundatio talis Ecclesiæ. Nam, cum quædam beneficia sint Sacerdotalia, quædam diaconalia, alia subdiaconalia; is ordo requiritur, quem in obtinente beneficium exigat; vel saltem capacitas, ut illum recipere possit intra annum à die pacificæ possessionis, *c. licet Canon, c. Commissa, de elect. in 6.* Trid. *sess. 12. c. 4. & sess. 24. c. 12.*

2201. Quæstio est 2. qualis Ordo prærequiratur in præficiendo beneficio Parochiali? Resp. quòd saltem subdiaconatus; quamvis illud Episcopus conferre possit Clerico in minoribus, modò aliàs sit idoneus, & intra breve tempus ordinari possit in presbyterum, *c. præterea h. t.* Idem requiritur ad dignitates curatas, nimirum capacitas

proxima suscipiendi presbyterium intra annum, *c. cum in cunctis, de elect.* si verò non habeant annexam curam animarum, sufficiunt 22 anni; Pirhing. *h. c. nu. 38.*

Præter hæc not. in promovendo ad dignitates, quibus cura animarum, vel jurisdictio fori externi, annexa est, requiri, ut, si presbyter non sit, fiat; ad Abbatiam, Præposituram, & Decanatum, presbyterium actu, vel aptitudine proxima; quamvis, ob necessitatem Ecclesiæ, in Abbatem etiam dispensativè eligi possit constitutus in minoribus, etiam irregularis, *c. Tuam h. t.* ad Archipresbyteratum, & Archidiaconatum, ut sit Diaconus; V. *infra nu. 2803.*

2202. Quæstio est 3. quis ordo requiratur in eligendo ad Episcopatum? Resp. requiri de jure saltem subdiaconatum, *c. à multo, 9. h. t.* & saltem sex mensibus priùs, Trid. *sess. 22. c. 2. de reform.* Not præterea, quemlibet acceptantem beneficium, debere esse actu Clericum; nec in hoc casu cingendum haberi pro accincto; ita Vallensis *h. t. nu. 5. §. 3.*

ARTICULUS III.

De ætate jure requisita ad suscipiendos ordines.

2203. Resp. breviter, ad primam tonsuram, & minores Ordines, sufficere ætatem, quæ idonea videbitur Episcopo, ut insinuat Trid. infra citandum; ad acquirendum Subdiaconatum in recipiente requiri ætatem 22. annorum; ad Diaconatum 23. ad Presbyterium 25. sic Trid. *sess. 23. de Reform. c. 12.* sufficit autem, hos annos esse inceptos; Vallensis *h. c. n. 3. §. 4.* Tridentinum *loc. cit.* sic loquitur: nullus imposterum, ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum; ad Diaconatus, ante vigesimum tertium; ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur: sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi; sed dignos duntaxat, & quorum probata vita, senectus sit: Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine, ordinentur: privilegij quibuscunque, quoad hoc penitus exclusis.

Not.

2104.

Not. autem 1. quòd scienter aliquem ordinans, ante ætatem legitimam, suspendatur à collatione; ordinatus autem, ab executione Ordinum, dum habeat ætatem requisitam, c. *Vel non est compos* 14. *junct. c. dilectus* 15. *de Temporib. Ordinat.* Et quamvis Covarruvias in *Clem. si furiosus, de homicidio* p. 1. n. 4. doceat, hunc solum esse suspendendum secundum jus commune; contrarium tamen habetur in Extravag. Pij II. incip. *Cùm ex sacrorum*, apud

Piafecium p. 1. *prax. Episcop. a. 4. n. 2.* Not. 2. Episcopum non posse dispensare in ætate, requisita ad dignitates, seu beneficia curata *gloss. in Clem. fin. & c. 1. h. t. in 6. v. non imminet. v. Barbof. in dict. c. 1. & Azor. p. 2. l. 6. c. 5. q. 9.* Cæterum in materia ætatis creditur parentibus, vel dicto testium, *L. de ætate ff. de Minoribus.* Rebuff. in *praxi benefic. in literis prima tonsuræ* n. 13.

* * *

QUÆSTIO XV. IN TIT. XV. DE SACRA UNCTIONE.

2105.

Sacra Unctio hic significat sacri Olei materiale delibutionem, factam secundum formam Ecclesiæ; Hostiensis hic in *Summa* n. 2. Agitur hic de illa, quia in sacris Ordinibus conferendis, de quorum collatione nunc tractamus, usus est sacræ unctiois; Desselius hic §. 1. Not. autem 1. sacram unctioem, aliam esse *exteriorem*, eamque materiale, & visibilem, qua visibiliter inungitur corpus; aliam *interiorem*, quæ fit per gratiam, & ad exhibendam exteriorem unctioem, quæ est signum interioris, benedici, & consecrari *Oleum* olivarum, quod dicitur *Catechumenorum*, & *Infirmorum*; si ei jungitur balsamum, vocatur *Chrisma*.

Not. 2. *Episcopos*, dum consecrantur, ungi in capite, & manibus, c. *unic. h. t. Sacerdotes*, simplici Oleo olivarum benedicto, in manibus, *glossa c. præterea dist. 23. omnes Christianos*, dum baptizantur, in scapulis, & pectore, c. *unic.* per frontis *Chrismationem*, qua intelligitur manus impositio, & alio nomine dicitur *confirmatio* (quam jure ordinario confert solus Episcopus; ex delegatione *Papæ*, etiam simplex Sacerdos, ut colligitur ex *c. 1. dist. 95.* & determinatum videtur à Concilio Florentino in decreto Eugenij, §. *secundum*

Sacramentum) Imperatores autem, & Reges, in brachijs, & humeris *cit. c. unic. §. unde veteri.* Not. 3. sacram unctioem adhiberi præterea in extrema unctioem infirmorum, in consecratione altarum, dedicatione Templorum, Benedictione Calicum &c. de quibus alio loco.

Ex his colliges, quòd unctio Ecclesiæ (juxta Sylvestrum V. *Unctio*) sit triplex; una, quæ nec Sacramentum, nec Sacramentale est: quia nec per se gratiam causat, nec ad aliquod Sacramentum perficiendum, vel suscipiendum ordinatur, qualis est unctio Regum; unde ea fieri non debet cum materia consecrata; & multò minus cum chrismate; nec fit in capite, sed in humero, vel armo: Imperatoris unctio habetur in *Clement. de jurejur. cap. unico. §. Edictus*: secunda est Sacramentalis, non Sacramentum: quia scilicet ad Sacramentum ordinatur, vel suscipiendum, ut *Catechumenorum*, vel perficiendum, ut unctio Baptizati in vertice: tertia est Sacramentum per se, & duplex; scilicet *chrismatis* in fronte per Episcopum; & *Olei Sancti* per Sacerdotem in extremis. Plura de *Unctioe Sacramentali*, tradunt *Theol. morales. v. n. 2808.*

2206.

* * *

QUÆSTIO XVI. IN TIT. XVI. DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

2207.

Cum sint quædam Sacramenta, quæ animæ Characterem indelebilem (signum scilicet potestatis aut virtutis ac-
Tom. I.

ceptæ in Sacramento) imprimunt; hæc autem iterari non possunt sine sacrilegio; duo præscribuntur hoc titulo; 1. ut, si in
R r r
Ordi-